



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1442. usque ad annum 1460

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1768

VD18 90118324

§. 7. Ferrariensis Concilii Sessio post Græcorum discessum quinta

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66507](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66507)

suffragantium vota inclinabant in Cardinalem Arelatensem, aliosque duos recens creatos Cardinales, nimirum Archiepiscopum Panormitanum, & Joannem Segoviensem. Hi ergo Basilea discedentes mense Majo navem conscendebant, secundo Rheno iter aggressuri.

Secul. XV.

A. C. 1442.

§. VII.

Ferrariensis Concilii Sessio post Græcorum discessum quinta.

Totum Eugenii animum occupabat Florentinæ Synodi cura, cujus quinta post Græcorum discessum Sessio die vigesima sexta Aprilis hoc anno celebrata est, in qua Pontifex Concilium Florentia Romam, approbante ipsa Synodo, transferendum proposuit, eo ex fine, ut majorem auctoritatem ex ipsius loci dignitate acciperet, & ut clarioribus honorum signis magni Æthiopiæ Regis Zara-Jacobi Oratores, qui ad Concilium Oecumenicum fidei orthodoxæ suscipiendæ animo properabant, excipi possent, subjunxit quoque Eugenius, Synodum esse proseguendam in Basilica S. Joannis in Laterano, decima quinta die post ejus ad Urbem reditum. Addidit & alias causas, quibus hanc translationem justam, utilemque fore ostenderet, nimirum opportunitatem loci, omnium necessariorum

*Acta Patrici
tom. 13. pag.
1599.*

Sæcul. XV. copiam, & tandem majorem facilitatem
A.C. 1442. Ecclesiæ pacem, & Italiæ tranquillitatem
 certius procurandi. Nihilominus Basileenses cunctas hæc rationes ab Eugenio propositas in deteriorem partem accipientes, quaquaversus spargere non dubitarunt, Eugenium eo consilio Synodum Romani transtulisse, tum ne compelleretur ad aliud Concilium in Germania celebrandum accedere, eo quod nullam extra Italiæ fines Synodum ratam haberet, tum ut ostenderet, sibi summum imperium competere supra Concilium, eo quod de loco ad locum, Basilea Ferrariam, Ferraria Florentiam, & inde Romam pro arbitrio suo illud transferret, quæ omnia tamen, aiebant, non nisi ad evertendam Ecclesiæ ac Conciliorum auctoritatem tenderent.

§. VIII.

Sessio XLIV. Basileensis Concilii.

Labbe Conc. to. II. p. 650. Basileenses quoque eodem anno die nona mensis Augusti pridie ad festum S. Laurentii sessionem quadragesimam quartam celebrarunt, qua sanctionem valde prolixam ediderunt, ut sibi & eorum, quæ gesta fuerant, securitati prospicerent; quocirca omnia & singula, quæ adversus se, aut in suorum præjudicium promulganda essent, irrita ac nulla declararunt,
 con-